

rizontem ex parte orientis versus mediam noctem, inuenio esse 58. grad. circumducta igitur aranea, statuo apicem stellæ in Astrolabio bipartio ad 29. parallelum ex parte orientis. Et quia locus solis illo die est 28. gradus Arietis, immota aranea pono lineam fiducia supra grad. prædictum & ostendit in limbo horam 11. à meridie.

Rursum depræhenditur altitudo eiusdem stellæ esse 62. grad. tunc quia hæc altitudo stellæ cadit in lineam medij cœli, posita linea fiducia super grad. dictum, ostendit in limbo præcisè hor. 12. mediæ noctis.

Tertio depræhendatur altitudo dictæ stellæ ab occasu versus punctum mediæ noctis esse 58. grad. circumducto reti pono apicem stellæ ad 29. parallelum, ex parte occidentis, & linea posita super gradu 28. arietis, ostendit in limbo horam primam post mediam noctem, & præterea 10. gradus æquinoctialis, quibus respondent 40. minuta unius horæ.

### HORAM INÆQVALEM INTERDIV QVOVIS momento inuestigare. Propos. XII.

Gradum, in quo sol tunc versatur, cum sua altitudine ad parallelum ei conuenientem locato, & Nadir seu pars ei opposita ostendet horam inæqualem, in lineis horarum inæqualiū, seu temporalium sub horizonte obliquo descriptis, quarum initiū ab occasu solis secundū successionem signorum sumitur. Notato igitur gradu opposito solis, in aranea, per lineam fiducia, quod si cōtingat præcisè terminum lineæ alicuius horariæ, hora illa est completa, sin minus incompleta, & tunc ut scias, quot partes ultra horā cōpletā effluxerint, nota diligēter locū oppositū solis, deinde totū spatiū inter initiū horæ inuentæ & finē beneficio circini distribue in partes æquales: quo facto numera partes ab initio horæ usq; ad locū oppositū soli & habebis partes ultra horā cōpletā. In exēplo res tota fiet manifesta. Hodie quæ est 22. Apr. hoc tēpore, volo scire quanta sit hora diei, id est, quot

D 2 horæ